

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochochiensis Joannes Bacmeisterus.
D. Med. & sup. Math. Prof. P. Facult. Med. Senior & Decanus. Ad Apparentis in
linguis igne fulgentibus Spiritus Sancti Religiosam venerationem Omnes
Academiae Cives serio invitat & hortatur**

Rostochi[i]: Weplingius, [1684]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74250381X>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

—
1684. Pfingst.

~~A-1256. 39.~~

PROGRAMMA

^{2^{no}}

1684

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOANNES BACMEI-
STERUS, D.

Med. & sup. Math. Prof. P. Facult. Med.
Senior & Decanus.

Ad

Apparentis in linguis igne
fulgentibus

SPIRITUS
SANCTI

Religiosam venerationem

*Omnēs Academia Civēs seriō invitāt
& hortatur*



Rostochl. Littēris JOH. WEPPLINGI, Univērsi, Typogr.

M. 1256 39



*N*uma Pompilius secundus à Romulo Romanorum Rex, iustitia & pietate, qualis quidem in illum cadere poterat, insignis, qui pacatis finitimorum odiis, quo truces efferatosq; longa militia animos ad Pacis artes traduceret, ad DEORUM cultum animum adjecit, & inter alia, cum Annum in duodecim Menses distribuisset, eundem etiam in certa dierum genera divisit, & *Fastos*, quibus Pratori licebat tria verba profari, *Do se. Dico, Addico*, ipsumq; jus dicere, *Nefastosq;* dies, quibus prohibitum jus dicere vel iudicium exercere, condidit. Postmodum vero *Diebus fastis* quidam *Ferias* includebant, ita ut *dies feriatum* etiam esset *fastus*, quibus divina & humana cum prosperi successus spe tractare licebat: *Nefasti* verò dicebantur, quibus propter omen malum à rebus feliciter agendis abstinendum erat, adeò ut iisdem ne quidem sacra tractare liceret, quia infelix rerum hilce diebus gerendarum putabatur successus futurus. *Feriarum* aliæ erant *privata* aliæ *publica*. Publicarum quatuor numerabantur genera, *Stativa, Conceptiva, Imperativa & Nundina*. Præter hos jam enumeratos etiam *Festos Profestosq;* constituiebant dies: *Festos* DIIS dedicatos perhibebant, in quibus, forensibus negotiis omis- sis, sacrificia, ferias, ludos epulasque solemnes celebrare, ac inter vota & sacra faustaque omnia versari, verbisque prophanis abstinere conveniebat. Teste *Alex. ab Alex. genial. dier. l. 4. c. 20.* *Profestos* verò hominibus ad rem administrandam tam privatam quam publicam concessos esse, *Festus* perhibet, indeque dictos statuit, quod procul à Religione Numinis divini essent & in *Comperendinos* ac *Præliares* dividebantur. Divisa namque tempora *Voluptatis & Laborum, Remissionum & Curarum* Romani veteres semper habebant. Verum pagellarum Programmati destinatarum angustia prolixiorem Dierum apud Paganos olim usu compertorum relationem prohibent. Ad primitivæ ergo Ecclesiæ Dies festos progrediendum erit. Et quidem præscis Ecclesiæ temporibus sacra primum erant quotidiana, ac Christiani in templo unanimiter quotidie conveniebant. Postmodum diebus Sabbati sacra ab Apostolis peragebantur, forte ob Judæos hæc rituum similitudine

dine lucrificandos. Cum autem progressu temporis Sabbati reverentia desineret, feria prima hebdomadis vel dies Solis ex Apostolorum instituto & unanimi Ecclesie consensu ad publica sacra destinari coepit. Nec saltem interdiu sed & noctu sacros conventus tum temporis fuisse adornatos ex *Abbis Apostolorum* abunde satis constat, quos *Tertullianus* Antelucanos nominat catus. Cum verò illi conventus nocturni variis calumniis obnoxii, & jam tum antiquissimis XII. Tab. legibus prohibiti essent, nec non occasione vigiliarum nocturnarum progressu temporis abusus quidam irrepere, & flagitia non raro committi inciperent, placuit Ecclesie illas planè abrogare. Crescentibus deinceps Seculis, dies quoque Festi pro sacris peragendis multiplicati sunt. Et quidem, quantum ex *Augustino* colligere licet, primaria sui seculi Festa non tam scripta quam tradita toto terrarum orbe observata, & anniversaria solemnitate celebrata fuerunt sequentia quatuor 1. Passionis Dominice s. Quadragesimæ. 2. Pascatis s. Resurrectionis salvatoris nostri Jesu CHRISTI. 3. Ascensionis ejusdem in Cœlum è monte Olivarum. & 4. Pentecostes s. adventus SPIRITUS SANCTI de Cœlo. His merito nunc subnectimus solemniora præ cæteris totius Anni Festa, quæ hodiè in Ecclesia Christiana solemniter celebrantur ritu: Et quidem, ut ab eo, à quo Ecclesia Christiana suos orditur annos, auspicemur. *Adventum Domini* dies meritò primùm attendendus, quem Anno ccccxx. quinto scilicet Seculo regnantibus Honorio & Theodosio juniore Imperatoribus celebrare coeperunt. Hunc excipiunt ipsæ *Feria Natalis Immanuelis* nostri, quas alii omnium Festorum Metropoli nominarunt, & jam tertio seculo solennes fuisse constat. Proximum ab his est *Circumcisionis Festum*, quod non statim ab initio nascentis Ecclesie fuit institutum, sed saltem, secundum Bellarminum Cardinalem, ante secula non adeò multa receptum. Pridè Nonarum Januarii *Festum Magorum* celebramus, quod jam IV. Seculo, teste Ammiano Marcellino, adeò solenne fuit, ut etiam impii Principes ab illius festi diei publicis sacris abesse noluerint. Nec minus *Purificationis Festum* hic notandum, quod in secundum Februarii diem incidit, & Justiniani auspiciis, authore Sigiberto, Constantinopoli paulo ante Seculi sexti medium fuit institutum. An autem *Quadragesima* numero Festorum solemniorum includi debeat & possit adhuc controvertitur. Cum tamen ejus observantia

non

non tatum ab Apostolico ævo videatur manasse, sed & quidam s. Patrum
eò procedant, ut statuam, Quadragesimam divinitus consecratam, &
cœlesti majestate præceptam nullatenus autem terrenâ cogitatione adin-
ventam aut ab hominibus constitutam esse, meritò & illius mentionem
hic facere debuimus. In ipsam autem Quadragesimam *Annunciatio-
nis Mariæ* Festum incidit, quod meo equidem iudicio omnium Festorum
fundamentum quasi & basis dici meretur, ejusque memoriam antiquam
fatis esse credo, quamvis vera ejus Origo adhuc à Scriptoribus in dubi-
um vocetur. Nullam autem sanctiorem omnibus retro seculis
hebdomada extitisse, quam cujus initium facit *Dominica Palma-
rum*, inde manifestum sit, quod in Ecclesia per omnes magnæ hujus he-
bdomadis dies humicubationes, abstinentiæ ab uxoribus, preces la-
crumis mixtæ, vigiliæ, jejunia, elemosinæ aliæque pietatis officia fre-
quentarentur. Inter omnia alias sacræ antiquitatis festa *Paschatis Fe-
stum* præeminet, quod ex Judæorum sacris ad synaxes fidelium tradu-
ctum quidem, sed sub dierum aliquo discrimine. Post Pascha olim
agi solebat *Quinquagesima*, erantq; illi dies L, qui à Paschate proximè
sequuntur continuata quasi festivitas, & omnes tanquam Dominici cele-
brabantur. Antiquitus namq; singulari Dei mandato à Paschate septem
numerabantur hebdomades, quarum clausula dies nempe quinquage-
simus festus erat, quoniam in finem messis, ut Pascha in ejusdem initium
incidebat. Hos autem dies festivos interturbabat circa Augustini æ-
vum *Festum Ascensionis Christi* in Cœlos, quod tamen in veteri Ecclesia
non specialiter attenderunt ante, quam cum Quinquagesima cessaret.
Finita Quinquagesima *Festum Pentecostes* s. dies Spiritui S. sacri sequun-
tur, de cujus antiquitate nullum quidem suboritur dubium, nisi quod
non certò constet, an Apostolos ipsos habeat authores. Cum autem
primis temporibus Pentecoste unico saltem die ageretur, Pascha vero
integro octiduo, constitutum est sub finem seculi XI in Concilio à Con-
stantiensi Episcopo, Festum Paschatis itemque Pentecostes tribus conti-
nuatis diebus celebrari debere: quem morem etiam hodie observa-
mus. Pentecosten immediatè *Festum S. S. Sadoranda Trinitatis* exci-
pit. Quis autem primus hunc diem S. S. Trinitati consecravit, non
constat. Hoc tamen certum, hunc diem semper ab eo tempore, quo
Pentecoste inter majora Solemnia computata est, maximâ cum devo-

lione

tione celebratum esse. *Johannis* insuper *Baptiste Festum* jam seculo V. inter maximas festivitates connumeratum esse legimus *Visitationis Mariae* autem *Festum* Urbanus VI. sub finem seculi XIV. primus condidit, & postmodum Concilium Basiliense confirmavit. Cui tandem coronidis loco *s. Michaelis* Festum subnectimus, quod sub finem seculi V. originem traxisse perhibetur. Hæc sunt præcipua totius Anni in nostrâ quidem Ecclesiâ adhuc usitata Festa, quæ eum in finem recensere placuit, cum is, quem hodiè celebramus, Dies Festus sit quasi complementum quoddam, sive colophonem, sive coronidem, sive fastigium malimus nominare eorum, quæ hætenus præcesserunt, Festorum. Hic enim est Dies ille novi foederis optatissimus, quo non promulgata fuit litera Legis occidentis, prout ab Apostolo nuncupatur, quippè quæ adversus cunctos Mortales graviter detonat, iisque æternam minatur condemnationem, quum nemo prorsus perfectam, ei valeat præstare obedientiam; sed suavissima illa & gratiosissima Evangelii doctrina, quæ consternatas & conturbatas mentes dulcissime erigit ac refocillat, in omnes Orbis cardines longè lateque divulgata est virtute scilicet & efficacia æterni hujus Spiritus, qui omnia in omnibus operatur. De cujus Personâ, Officio & Beneficiis ad omnes homines, & præcipuè ad Ecclesiam redundantibus, hisce *Ferijs Pentecostalibus* in cœtu sacro abs facundissimis Oratoribus & Doctoribus Ecclesiasticis publicè disseritur: quandoquidem vera nostra sapientia & æterna salus in Orthodoxa ipsius, quemadmodum & Dei Patris ac Filii agnitione unicè consistit. Spiritus Sanctus enim est verus & substantialis ille DEUS, qui universum hoc Mundi theatrum ex nihilo affabrè fabricavit, omnes Creaturas visibiles & invisibiles stupendo quodam ac mirabili modo efformavit, omnibusque animantibus animam & vitam inspiravit: Siquidem in primævâ rerum omnium Creatione, attestante Mose, molem aqueam, cui terra erat immerfa, ex quâ digesta & posita res omnes postea productæ fuerunt, fovebat & vivificabat, non secus ac avis vel gallina incubando fovet ova, iisque vitalem impertit calorem. Neque tantùm ut mirificum Conditorem, sed etiam ut omnipotentem omnium Creatorum conservatorem in præsentem usque diem se luculenter demonstravit & manifestavit, ita ut meritò de

ipso asseverari possint, quæ de commentitio suo Jove olim lyricorum
Princeps & coriphæus *Horatius* cecinit, quod sit.

Gentis humane pater atque custos:

Qui res hominum ac DEORUM,

Qui mare & terras variisque Mundum

Temperat horis.

Hic est *Doctor Veracissimus*, qui fideliter sibi adherentes in omnem
ducit veritatem: Est *Spiritus sapientia*, negligentiam omnem re-
pellens: *Spiritus intellectus* diligentiam quarens: *Spiritus Consilii*,
divinam providentiam inveniens: *Spiritus scientia*, oblivionem lu-
bricam extinguens, *Spiritus pietatis*, *Spiritus timoris* Dei, mentes fi-
delium dotibus suis spiritualibus replens. Hic est *Paracletus & Consola-
tor* in omnibus ærumnis, quibus hæc vita hisce quidem corruptis tem-
poribus referta est, *dulcissimus*, qui contra singula fidei tentamina
erudit, tristitia & languida pectora suavissimo solatio reficit, manum-
que supponit, ne pii in afflictionibus à Deo immisiss omnino succum-
bant, sed iterum exsurgentes cum jubilo caput suum efferant. Hic est
Vivificator & Sanctificator efficacissimus, sine cujus numine vita nostra ne
ad momentum quidem vigorem retinere, multò minùs subsistere potest.
Hic est *Illuminator Cordium miraculosus*, qui rudes & imperitos do-
ctrina, insipientes sapientia, ignaros scientia & cogitatione affatim
donat & auget; qui de Davide adolescentulo Citharædo celeberrimum
Psalmistam, de Pastore armentario eximium Prophetam, de Dani-
ele puero judicem Senum: qui de piscatoribus abjectissimis sanctos
CHRISTI Legatos fecit. Novum hoc doctrinæ genus, nova do-
cendi ratio, quæ divino afflatu serpit in animos sapientia, & in luce cir-
cumfusâ omnia sistuntur intellectui; Indocti erant, rudes, simplices,
quos Apostolos suos Salvator noster delegerat. Simul ac verò hic *Spiri-
tus Domini* eos adflavit, vidisses *Theologos*, qui divina loquerentur my-
steria; *Juris-Consultos* qui justitiam nunciarent populis, orbem terra-
rum aliquando judicaturi: *Medicos*, qui vel tactu solo morbis mede-
rentur: *Philosophos*, qui docerent sapientiam non turgidam illam &
inanem, sed æternam, quæ Mundo est stultitia: *Oratores* omnium
gentium linguis disertos: *Poëtas*, qui in laudes Dei juba cantarent:
Politicos, qui ad magnam illam Dei civitatem formandam mitteren-

TUL.

tur. Felix itaque & ab omni parte beatus ille merito censendus, cujus viscera tanquam domicilium & receptaculum viventis DEI almus hic Spiritus incolit, cujus dicta & facta ipse solus informat, & ad felicem dirigit scopum. Hujus autem summi Boni aeternaeque lucis illi simpliciter participes fiunt, qui ejusdem instinctu & ductu, posthabitis mundanis voluptatibus ad caelestia semper adspirantes, assiduis precibus gratam labiorum suorum hostiam DEO offerunt. Spiritus S. enim est *spiritus gratiae & precum*, precibus impetratur, & pios ad preces impellit; Proindeque se libentissime associat iis, qui ardenti & devoto pectore hanc ipsam orandi artem indefinenter exercent. In templo Salomonis cum Domino adoleretur incensum, gloria Domini replebatur templum: Ita etiam si precum odora menta offerimus DEO, templum Cordis nostri replebit Spiritus Sancti gloria; gaudebuntque omnes sacro sancti hujus Spiritus presentia, qui Pacem & Concordiam summo animi desiderio & conatu amplectuntur, discordiam vero & omnem contentionem, infensissimos charitatis & S. Sancti hostes, serio devitant, & perpetuo persequuntur odio, quique piam, sobriam, modestam, normaeque divinae convenientem in his terris degunt vitam, conscientiam amentes ab omni injustitia & immunditie defaecatam. Qui vero sacro sanctum castissimi hujus Spiritus Festum in detestabilia Bacchanalia aut Saturnalia helluationibus & crapula turpissime deformant, qui universum vitae tempus pro more hujus seculi in Cyclopeam impietatem & Epicuream insumunt securitatem, qui timorem DEI & verbi ipsius salvifici auditum susque deque habent, & variis flagitiis, cupiditatibus & concupiscentiis tanquam carnis illicebris se polluunt & contaminant, nullam in Spiritus hujus sanctissimi beneficiis invenient partem: Impia quippe horum conversatio purissimo huic Spiritui invisa semper atque exosa est. Agite ergo, *Cives Academici*, a mundana pravitate recedentes, disciplinae & jugo S. Sancti mitissimo vos totos submitte, & devoto pectore S. Spiritus implorate gratiam, ut & vestris coelitus illabatur cordibus, & dignum se hospite domicilium exornet ipse & consecret. Inscitiae & imprudentiae sordes omnes deponite. Absit a vobis omnis spurcicies, absit impietas & nequitia. Sancti estote. Laus Jehovah sit in ore vestro, Deo ministrare, & in ejus mandatis obambulare vobis sit semper volupe. Spiritus S. malos fugit, bonorum consortio gaudet: Exite & vos a gente perversa: quae societas luci cum tenebris, quae communio Christo & Belial? Bonos amate, cum bonis conversem, si bonum titulo insigniri vultis. Spiritus S. Concordiam amat. Quid igitur inter vos convitia, quid rixae, quid digladiationes. Non S. Spiritus sed daemonum haec sunt opera. Pax regnet inter vos, Pacis Deus est; pacifice ergo vivendum & fraternè cohabitandum est. Quid faciunt in Cordibus vestris iniquitates, quid in oribus calumniae, quid in auribus obscenitates, quid in mani-


bua


bus gladii. Non hæc S. Sancti sed Satanz, non hæc Studioforum sed Bacchanti-
 um insignia sunt: Exvantur hi mores. Ita vos gratis necessum est, ut S. San-
 ctus vos occupare delectetur. Puritas Cordis à Vobis requiritur. Ejicite fe-
 ces hujus seculi. Vos ex aliis vitæ generibus primatum obtinetis; vos ruen-
 tem Ecclesiam & Rempubl, confortare debetis. Auro igitur mundissimo vos
 conformate, ut industriâ in studiis, probitate in moribus toti fulgeatis, istoq;
 jubare Magnates multosque alios in vestri amore & favore pertrahatis,
 S. Spiritus rectitudinem & constantiam & mentem impeterritam à vobis requi-
 rit, ne voluptatum vermibus esca fiat, Cavete, ne sitis ligna putrida, curva, vel
 obliqua: Sanctius est templum Academicum, quam ut membra hujusmo-
 di admittat. Virtute & probitate opus est. Vos estis plantati in horto no-
 stro Academico, Deo bonisque Musis consecrati: Cur ergo impietate, cur o-
 tione diffluetis? Plato cum Auditores suos dimitteret, subycere solebat. *Pidete,*
ut Otio ad res honestas utamini. Idem æstimate vobis jam quoque suggeri &
 acclamari. Idque eò contentius merito facimus, quod constat, Satanz insidiis
 sacros imprimis dies, queis ad cultum Domini enixiorem populus evocatur,
 esse opportunos. Tum enim adversas pietati illicebas conatu majore submi-
 nistrat ille *ὀλεσῶν*, iisdemque incautiores multorum animos ita sæpius ir-
 retit, ut in alia omnia devolvantur, & dies placando ac celebrando Domino
 consecratos in irritamentum ac opprobrium sanctissimi Numinis convertant,
Cassitatem amate, ne libidinosis congressibus vestra tum corpora tum corda
 contaminentur. Prava sodalicia tanquam noxiam Capram fugite: Si lam-
 bendo vos attigerit, quid aliud quam sterilitas subsequetur. Tribus ornati
 estis præfidiis, *Ratione, Oratione, Manibus*: Intellectus vel mentis virtus est Ra-
 tio: Rationis Oratio: Orationis Manus: Hæc enim iussa facit, iussa obediunt
 Rationi, Ratio vis Intellectus est, dicente *Scaligero Exerc: 26.* Vestrum est Excel-
 so parare solium & præstare servitium, ut inter vos habitet, ejusque gloria
 vestro ministerio celebretur in terrâ universâ. Otium vobis non est, sed
 continuâ operatione Deo ferendum. Impleamini vos spiritu, loquentes
 vobis ipsis per Psalmos & hymnos & cantationes spirituales. Quicquid enim
 sumus, per Dei gratiam sumus; quicquid habemus, à Domino habemus: quic-
 quid boni facimus, Deo adjuvante facimus. Sursum igitur elevatis Corda ad
 Jehovam benefactorem tantum magna voce & constanti studio ingeminetis.
Veni sancte spiritus, & emitte cælitus Lucis tue radios. Veni pater pauperum,
Veni dator munerum, Veni lumen cordium. Consolator optime, dulcis Hospes
anima, dulce refrigerium. In labore requies, in astu temporis, in fletu solatius.
O lux beatissima, reple cordis intima, tuorum fidelium. Sine tuo numine, ni-
 hil est in homine, nihil est innocuum. *Lava quod est sordidum, riga quod est*
aridum, sana quod est saucium, flette quod est rigidum, fove quod est frigidum,
vege quod est devium. Da tuis fidelibus, in te confidentibus, *sacrum septena-*
rium, Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium.

P. P. Rostochl sub Sigillo Rectoratus, Peria prima Pentecostali

Anno cto 196 LXXXII.

106 (0) 80





que. Felix itaque & ab omni parte beatus in
viscera tanquam domicilium & receptaculum
Spiritus incolit, cujus dicta & facta ipse so-
dirigit scopum. Hujus autem summi Boni-
citer participes fiunt, qui ejusdem instinctu
danis voluptatibus ad cœlestia semper ad-
gratam labiorum suorum hostiam Deo offer-
ritus gratia & precum, precibus impetratur
Proindeque se libentissimè associat iis, qui
hanc ipsam orandi artem indefinenter exere-
cum Domino adoleretur incensum, gloria Deo
Ita etiam si precum odora menta offerimus Deo
plebit Spiritus Sancti gloria; gaudebuntque o-
tus presentia, qui Pacem & Concordiam summi
amplectuntur, discordiam verò & omnem con-
charitatis & S. Sancti hostes, serio devitant, &
quique piam, sobriam, modestam, normæque di-
ris degunt vitam, conscientiam aleantes ab omni
faciatam. Qui verò sacro sanctum castissimi hujus
Bachanalia aut Saturnalia helluationibus & ca-
qui universum vitæ tempus pro more hujus secu-
& Epicuream insumunt securitatem, qui timore
ci auditum susque deque habent, & variis flagi-
piscentiis tanquam carnis illicebri se pollunt
Spiritus hujus sanctissimi beneficiis inveniunt pa-
conversatio purissimo huic Spiritui invisa sempe-
gò, *Cives Academici*, à mundanâ pravitate recedent
mitissimo vos totos submitte, & devoto pectore
am, ut & vestris cœlitus illabatur cordibus, & di-
exornet ipse & consecret. Inscitiæ & imprudenti-
Abût à vobis omnis spurcitiæ, absit impietas & ma-
Laus Jehovæ sit in ore vestro, Deo ministrare, & in-
re vobis sit semper volupe. Spiritus S. malos fu-
det: Exite & vos à gente perversa: quæ societas
communio Christo & Belial? Bonos amate, cum
rum titulo insigniri vultis. Spiritus S. Concordi-
vos convitia, quid rixæ, quid digladiationes. Non
hæc sunt opera. Pax regnet inter vos, Pacis Do-
dum & fraternè cohabitandum est. Quid faciun-
tate, quid in oribus calumniæ, quid in auribus co-

sendus, cujus
Et almus hic
et ad felicem
is illi simpli-
habitis mun-
luis precibus
enim est spi-
ces impellit;
voto pectore
o Salomonis
ur templum:
rdis nostri re-
i hujus Spi-
rio & conatu
infensissimos
vuntur odio,
em in his ter-
munditie de-
a detestabilia
e deformant,
impietatem
ipsum salvifi-
ous & concu-
nullam in-
ippe horum
Agite er-
ugo S. Sancti
orate grati-
domicilium
deponite.
ti estote.
obambula-
nfortio gau-
nebris, quæ
emin, si bo-
igitur inter
dæmonum
ergò viven-
tris iniqui-
id in mani-
bus.

